



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

101. Quot modis Capellania (idem est de alio beneficio) dicatur sacerdotalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

manifestè id continentes. Verùmque id est, etiam si ultra onus celebrationis missarum servitium aliud impositum haberet v.g. cantandi in choro, quòd residentiam personalem præferre videretur, positumque expressè esset in fundatione: *Capellaniam hanc obtinens cantet, vel serviat*: Luca loc. cit. n. 3. Garc. loc. cit. nu. 89. contra Nav. consil. 6. n. 3. de Clericis non resid. docentem, verbum: *cantet vel serviat*: in fundatione Capellaniæ positum idem importare, quòd resideat; quòd intelligitur de personali residentia: poterit enim & tunc adhuc Rector Capellaniæ talis per substitutum satisfacere; uti manifestum videtur ex decis. Rotæ in una Brixienfi Capellania, 2. Martii Anno 1598. apud Garc. n. 88. generaliter sic decidit: *Capellania non requirit personalem residentiam, nisi fundator jussit; quòd Capellanus per se ipsum inservire teneatur. Secus autem esse videtur, ubi fundator dixisset: intersit vel assistat in choro*: hæc enim idem, quòd resideat, importare videntur; adeòque imponendo hanc interestiam, & assistentiam imposuisse videtur residentiam personalem. Garc. loc. cit. n. 89. quamvis & in eo adhuc casu non importari nisi residentiam causativam seu impropiam, inducentem amissionem fructuum seu emolumentorum, aut distributionum, non verò propriam ac veram inducentem incompatibilitatis effectum, docet de Luca d. 57. cit. n. 6. & d. 58. n. 6. & d. 59. n. 4. &c.

2. Respondeo secundò: in particulari Capellania interveniente auctoritate Ordinarii fundatà cum obligatione residentia personalis, dum postmodum ejus fructus adeò diminuti sunt, ut non sint sufficientes & porportionari amplius tali oneri, non obligat ad residentiam, saltem Ordinario tollente hanc obligationem, Garc. cit. p. 7. c. 1. nu. 126. docet etiam in genere Lott. l. 3. q. 27. nu. 19. his verbis: libera est hac in re facultas Episcopi, non solum in superadducenda residentia ex causa prædicta (nimirum urgente necessitate vel utilitate Ecclesiæ ex defectu ministrorum) sed etiam in tollenda, si ob tenuitatem fructuum non reperiatur, qui velit provideri; ut etiam latè probat Moneta de commut. ult. volunt. c. 11. n. 15. apud eundem, uti id eum posse in eo casu annuente patrono, aut etiam eo invito, si vocatus consentire noluerit; patet ex generali doctrinà, quâ docent DD. ad c. nos quidem. de testam. posse Ordinarium in tali casu diminuerè, seu reducere onera à fundatore imposita: cum, ut ait Felin. ad c. cum accessissent. de consir. n. 29. cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris, vide de hoc Garc. qui pro hac materia citat Lamb. l. 3. q. 6. n. 7. Azor. p. 2. l. 6. c. 24. q. 6. &c.

3. Respondeo tertio: Capellaniæ, quæ nullos fructus habent in absentia, sed omnes inter Capellanos & beneficiatos præsentés distribuuntur, absentibus nihil percipientibus, requirere videntur personalem & præcisam residentiam; ita ut illas obtinentes ad eam teneantur, & cogi possint, nõ obstante consuetudine contrariâ. Garc. p. 3. c. 2. n. 188. idque ob decis. aliquam S. Congreg. quam adsum ibidem recitat Garc. quaniq; se originaliter vidisse ait apud eundem Gonz. gl. 5. n. 1. plura tamen in contrarium adducente Nav. consil. 4. de cler. non resid. n. 1. & seq. Quin imò tenere responsionem etiam non obstante consuetudine immemoriali, ostendit Garc. loc. cit. num. 197. Verum

& de hoc onere residendi accuratius infra sect. 3. c. 1.

Quæstio 101. Quot modis Capellania (idem est de alio beneficio) dicatur sacerdotalis?

Respondeo tribus: primò: dum requirit eo tempore sacerdotium, quo jus obrinetur in Capellania. Secundò: dum requirit illud eo tempore, quo à patrono nominatur seu eligitur. Tertio: dum ita solum illud requirit, ut qui eligitur, nominatur & offertur, fiat sacerdos intra annum ab eo tempore computandum, quo nactus est pacificam Capellaniæ possessionem; alioquin vel ipsa, vel ejus fructibus sit privatus. Azor. l. 6. c. 24. q. 4.

Quæstio 102. Undenam, dum institutio fundatoris, vel statutum, aut consuetudo id clarè non exprimit, constet, vel conjectura sumatur, Capellaniam esse, vel non esse sacerdotalem; seu obtinentem illam debere esse aptitudine tantum, vel actu sacerdotem, & legere missas per se ipsum?

1. **R**espondeo primò: Capellania sacerdotalis est, & requirit in promovendo sacerdotium actu tempore præsentationis seu provisionis, dum dicitur in fundatione vel statuto: *presentetur sacerdos; vel promoveatur Capellanus, qui missam celebret*: vel *assumatur persona idonea ad celebrandum*: vel etiam ut insinuat Garc. n. 97. *presentetur presbyter vel rector causâ celebrandi missas &c.* qualitas enim adjuncta verbo juxta L. in delictis. ff. de noxalibus; intelligitur secundum tempus illius Garc. p. 7. c. 1. n. 58. citans plures pro hoc decis. Rotæ; & dicens esse communiorem contra Azor. l. 6. c. 24. n. 4. in cujus sententiam inclinabo. *sect. seq.* ubi de SS. ordinibus requisitis in beneficiato. & Corrad. l. 2. c. 10. n. 117. in quantum ii volunt, id verum esse, dum fundator est laicus, non verò, dum est Ecclesiasticus, vel statutum Ecclesiæ sic loquitur; sufficere enim tunc posse intra annum fieri sacerdotem: pro hac doctrina citatur à Garc. n. 63. Lamb. p. 1. l. 2. a. 27. q. 7. & Anton. Genuens. Item contra Ferrer. qui vult id solum tenere, dum sacerdotium annexum est per verba negativa, dicente v.g. *fundatore: Capellania conferatur non nisi sacerdoti*. Item contra Zerol. p. 1. v. *beneficium* §. 8 qui vult posse institui non sacerdotes, modò tamen infra annum fiant sacerdotes, dum Ecclesia fundata hæc conditione, ut ad illam instituantur tot presbyteri, qui quotidie celebrent; item contra Gonz. gl. 5. n. 104. & seq. qui idem cum Zerol. docet, & insuper addit, dum fundator diceret: *presententur sacerdotes & non alii*; adhuc sufficere, esse in ea ætate, ut saltem intra annum fieri possit sacerdos. huic ferè inhæret Perez. de Lara l. 2. c. 5. n. 16. apud Garc. n. 63. nimirum dum fundator requirit presbyteratum per verba mixta affirmativa, sufficere præsentari idoneum ad presbyteratum. ac denique contra Paris. de resign. l. 4. q. 9. n. 34. qui vult in iis casibus, in quibus requiritur ætas 25. annorum & sacerdotium, posse resignari & provideri beneficium non sacerdoti, habenti tamen dictam ætatem. Ratio responsionis nostræ est, quòd qui non est sacerdos actu, sed solum aptitudine, non dicatur verè, nec absolute & simpliciter sacerdos; adeòq; in eo non verificentur verba requirementia sacerdotium. Garc. n. 67. Contra dictam Corradi & Azor. distinctionem est, quòd si in fundatione laici verba illa importent,